



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ludovici De Ponte E Societate Iesv Meditationes De
Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

**Puente, Luis de la
Coloniae Agrippinae, 1618**

Medit. 36. De Apostolorum electione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60798)

MEDITATIONES. 255

tientia, confidens in Domino, quod cum opus fuerit, Spiritum malignum effugabit: interim tamen, quamdiu in mortali & bellanti vita agimus, nimium securi esse non debemus.

MEDITATIO XXXVI.

DE APOSTOLORVM ELE-
ctione. Matth. 4.

Considerabo naturales Apostolorum qualitates fuisse scilicet ipsos pauperes, abiectos, viles, & rerum imperitos, vili & contemptibili arte victum comparantes, illos tamen, huiusmodi cum essent, à Christo, aliis nobilioribus, ditioribus & Doctioribus quos mundus habebat relictis delectos fuisse. Expendam & causas huius electionis. Prima est, quod quemadmodum se humiliaverat Deus, homo factus, ut nos humilitatē edoceret, ita illam exercere voluit, humiles in societate suam adsciscendo, quorum in primis contubernio delectatur. Secunda, quod discipulos reuera corde humiles esse vellet, ne sibi dona & gratias, quas in illos esset collaturus, nec opera illa mirabilia, quæ per ipsos esset editurus, ascriberent. Unde mecum ipse statuam, virtutem humilitatis exercere, idque ex animo. Tertia, ne quis mundi conversionem humanæ aut industriæ aut robori, sed uni virtuti diuinæ adscriberet.

2. Considerabo, Apostolorum qualita-
tem etiam quoad mores, id est, quoad vir-
tutes aut vitia, illorumque inclinationes
tam bonas quam prauas. Hoc in loco Dei
vocantis excutienda vocatio est, quæ à pu-
ra eiusdem bonitare ac Saluatoris Iesu
meritis procedit, ad quem omne bonum
nostrum referendum est. Cogitabo item,
voluisse Christum aliquos Ioannis disci-
pulos in ludum suum transferre, ut sui
præcursoris doctrinam cohonestaret, in-
ter quos fuit S. Andreas, in quo duæ egre-
giæ elucebant dotes, quibus ad hoc dispo-
nebatur. Primò ardens acquirendæ perfe-
ctionis, & ad meliora tendendi desiderium.
deinde feruens zelus, ut frater eiusdem
redderetur boni particeps; hinc ipsum vo-
cavit, & ad Domini sequelam exstimula-
uit. Dominum quoque & alios vocasse,
virtute scilicet inclytos, honesto loco na-
tos, & moribus insignes, ut & virtutem co-
honestaret, quales erant S. Petrus, S. An-
dreas, Ioannes, & Iacobus, qui & vili ac la-
boriosæ occupationi dediti erant, & arcto
inter se fraternitatis amore coniuncti. in
quo illos imitari oportet, ut benignos in
nos oculos receptor conijciat vocasse &
alios, sed peccatores insignes, ad malum
propensos, rebus vitæ huius tenacissimè
adhærentes, quales fuere S. Matthæus & S.
Paulus, ut potentem gratiæ suæ effectum,
simul & misericordiæ suæ magnitudi-
nem.

nem nobis ostenderet, ne quis se peccator
à gratia excludendum frustrandumque
existimaret.

3. Perpendam suauem illam verborum
Domini, quibus Apostolos ad se vocauit,
violentiam, vti è sancti Petri, Andrea, fi-
liorum Zebedæi & Matthæi vocatione cer-
nere licet, qui vi quodammodo ab infami
publicani officio auulsus fuit, verbis Re-
demptoris inuitatus. Cogitabo idem &
erga nos factum esse, dum infinitas nobis
inspiraciones sanctiores immisit; me-
ipsum ergo examinabo, num iis vsque-
quaque responderim.

4. Perfectam & excellentem Apostolo-
rum obedientiam examinabo, quod eo-
dem quo vocabantur instanti, suum dese-
ruerint exercitium, triplicem obedientiæ
modum exercentes, in intellectu scilicet
voluntate, & prompta præcepti executio-
ne. Quam & nos exercere par est. Item quæ
in illos propterea Saluator charismata &
præmia contulerit. Primò enim eos ad
maximam omnium, quas in Ecclesia in-
stituit, dignitatem, Apostolatam scilicet
euexit; deinde illos perpetuos sibi esse co-
mites voluit, sua illis arcana reuelauit, &
cum iis vt carissimis & intimis semper e-
git: Maiores quoque eis gratias & dona
contulit, quàm omnibus veteris & noui
testamenti sanctis, quin & in illos primi-
tias Spiritus distribuit. Promisit denique
illis,

illis, quod in vniuersalis iudicij die secum
essent duodecim tribus Israel iudicaturi in
duodecim sedibus confidentes, quod eius
voci obedientes omnia reliquissent. Hoc
nostrum est imitari.

MEDITATIO XXXVII.

DE VNIVERSALI VOCATIONE,
*qua Christus omne genus hominum vocat, ad
seipsos abnegandos, & crucem pro-
priam tollendam.*

I.

CONspiciendus est mundi huius prin-
ceps Lucifer in igneo throno sedēs, in-
numera cacodæmonum caterua circūda-
tus, & is ipse angelos suos malignos emit-
tens, qui bellum animabus inferant, idque
per concupiscentiam carnis, concupiscen-
tiam oculorum, & superbiam vitæ. Consi-
derabo item dæmones terrā circuire qua-
ritantes, quem deuorent; & deplorabo ia-
cturam & exitium tot animarum, ad sce-
lesti illius partes transeuntium, illorum
commiseratione tangar, iisque pro viribus
succurrere contendam.

2. Considerandus Christus Dominus in
humili quodā loco, vultu amabili & iucū-
do, discipulis & alia simplicium turba cin-
ctus, atq; omnibus dicens, *Si quis vult veni-
re post me, abneget semetipsum, tollat crucem
suam & sequatur me.* Vbi notanda illa ver-
ba, *abneget semetipsum*, eaque triplici dæ-
monis iclo, quo nos oppugnat, opponenda.
Per-